

## Band I., Nr. 255, Seite 318-320

*Bischof Johann von Speyer gründet die Abtei Sinsheim und übergibt sie mit genannten Gütern und Berechtigungen der Kirche zu Speyer.*

Speyer, 1100. Januar 6.

Notum sit omnibus tam futuri quam presentis temporis fidelibus, quoniam ego Iohannes, ex divina clementia Spirensis ecclesie presul, licet indignus, construxi abbatiam in proprio allodio meo in pago Elezenzgowi in comitatu comitis Brunonis, Sunnesheim dicto, a parentibus meis michi hereditario iure relicto, ob mee meorumque patris et matris aliorumque meorum ibidem sepulchorum anime remedium, in honore sancte et individue trinitatis et sancte dei genitricis Marie et sancti Michahelis archangeli et omnium sanctorum, et precipue illorum quorum ibidem reliquie continentur. Dotavi autem eandem ecclesiam diversis meis prediis, consentiente et laudante herede mea, filia videlicet fratris mei comitis Ceizzolfi ibidem sepulti, dicta Adelheid, que etiam sua predia eidem ecclesie devotissime tradidit. Dotavi igitur deo et sancto Michaeli aliisque sanctis, quorum ibidem patrocinia celebrantur, ad usum fratrum ibidem famulantium, quicquid ibi predii et decime et alicuius iuris habui, et preterea Steinuort, Asbach, Richardeshusen in pago Elezenzgowi. Mencingon, Ensilinheim<sup>1</sup> in pago Gregowi. Zeizolfeswilre, Lenzingon, Durminzi, Cussilbrunnin in pago Enzgowi, in comitatu comitis Brunonis. Buelon in pago Hedenegowe, in comitatu comitis Godefridi. Offenbach, Bebingon, Servilingan<sup>2</sup> in pago Spirgowi, in comitatu Spirensis episcopi. Alezenzi in pago Nachowi, in comitatu comitis Emechonis. Guntramesheim in pago Wormesfelt, in comitatu comitis Emechonis. Cognata quoque mea sua predia eidem ecclesie donavit, videlicet Vgulenheim<sup>3</sup> in pago Spirgowi, in comitatu Spirensis episcopi, Immeleshusin in pago Elezenzegowi. Enzeberch, Dagelvingon<sup>4</sup> in pago Enzegowi, in comitatu comitis Brunonis. Has omnes curtes cum omnibus ad easdem curtes pertinentibus, cultis et incultis, silvis, pratis, molandinis, aquis aquarumque decursibus, venationibus, punctionibus, exitibus et redditibus, et omnibus iustitiis quibus nobis servierunt, et omnibus familiis,

<sup>1</sup>Heinsheim, Bad Rappenau, HN.

<sup>2</sup>Servilingan, abgeg. Ort bei Landau; vgl. Historia et commentationes academiae electoralis scientiarum et elegantiorum litterarum Theodoro-Palatinae, 7 Bde., Mannheim 1766-94, Bd. 3, S. 252.

<sup>3</sup>Iggelheim, Böhl-Iggelheim, RP.

<sup>4</sup>Dagelvingon, wohl verschrieben für Aahelvingen also Eilfingen bzw. Elfinger Hof, Staatsdomäne, Maulbronn, PF.

exceptis ministerialibus eorumque prediis et beneficiis, ecclesie Sunnischeim et fratribus ibidem deo servientibus in proprium deditimus. Quoniam autem cetera predia nostra Spirensi ecclesie tradidimus, – ad usum quidem episcopi castrum nostrum Meistersele cum silva et villa circa castrum sita, nec non omnes ministeriales nostros cum ipsorum prediis et beneficiis, ad usum vero Spirensium fratrum curtem nostram Steinwilre, – idcirco cum eadem abbatia, predictis prediis dotata, ad sanctam Spirensem ecclesiam<sup>a</sup> confugimus, eamque Spirensi ecclesie in proprium delegavimus, ea videlicet ratione, ut Spirensis episcopus, et ecclesie, et abbati et fratribus, et omni familie clemens et benignus in omnibus patronus assit, et ab eadem abbatia, utpote a nobis libertate donata, nihil omnino servitii exigat, defunctoque eiusdem loci abbate fratribus alium sibi patrem de suo cenobio libere permittat eligere, eundemque quem eligant, et non alium eis patrem proponat. Omnes autem parochianas ecclesias ad eandem abbatiam pertinentes ab omni episcopali servitio absolvvi, ut sicut Spirensium fratrum ecclesie ab omni census exactione sunt libere, ita ab hiis nichil tributi ab episcopo queratur. Preter hec parochiane ecclesie, que est in Sunnescheim, singulare dedi privilegium, ut nullus ibi ab episcopo choriepiscopus, set abbas cum presbitero omnem ibi rem ecclesiasticam tractet, et si quid ei obsistat, ipse ante episcopum deferat. Ius etiam advocati michi placuit subscribi, ut videlicet nullum ibi episcopus constituat, sed abbas per se ipsum, quemcunque voluerit, eligat, qui nullum sibi exactorem substituat, set ipse ter in anno Sunnescheim, et non sepius, nisi ab abbate rogatus, item ter in anno Durminzi, et non sepius, nisi ab abbatore rogatus ad placitum veniet, et abbatem in causis necessariis strenue iuvet, libere placitante et banniente villico abbatis. Ad ipsum autem advocationem tantum de furtis et violentiis, et de prediis familiarum ecclesie pertineat agere, et quicquid in huiusmodi placitationibus acquirat, ipse tertiam partem, abbas vero duas accipiat. In hiis singulis sex placitis det ei abbas ad servitium unum malderum panis et frissingum, qui valeat XXX nummos, et V pullos et sex caseos et XX ova, et unam situlam vini et duas cervisia, et VI maldera avene. Curtem autem Steinwilre, ut predictum est, in pago Spriegow, in comitatu Spirensis episcopi, cum omnibus utilitatibus ad eandem curtem pertinentibus fratribus in ecclesia sancte Marie deo famulantibus donavi, exceptis ministerialibus eorumque prediis et beneficiis, et exceptis tribus libris, quas Wolfdrigel de eadem curte a me accepit, ut eis, quamdiu vivat, libere utatur. Eo obeunte eedem libre sine omni contradictione in potestatem fratrum redeant, et exceptis sex habis, quarum duas fratribus de sancto Germano, duas vero fratribus de sancto Widone, duas fratribus de sancta Trinitate, ut eis libere ad suos usus utantur, delegavi, ut

---

<sup>a</sup>Der Codex liest *ecclesie*

### III

videlicet singulis annis in anniversario meo quicquid inde utilitatis exquirere possunt inter se distribuant. Constitui etiam, ut de eadem curte VIIIII diebus quotannis fratribus de sancta Maria et de sancto Germano, et de sancto Widone, et de sancta Trinitate ad ecclesiam sancte Marie ad vigilias in nocte et missas in die celebrandas convenientibus communiter serviatur, videlicet in anniversario Heinrici tertii imperatoris, item in anniversario meo, et in anniversario consanguineorum meorum, Hermanni Coloniensis archiepiscopi, nec non Wolframmi patris mei, Azele matris mee, Zeizolfi fratris mei, Adelheidi[s] et Iudde, filiarum predicti fratris mei. In singulis autem anniversariis fratribus ad servitium dabuntur II maldera et dimidium de tritico, et II hame vini, et quatuor porci, et IIII porcelli, duo maiores et II minores, et XV pulli galli, et XV casei, et LXX ova. Sin autem anniversarius, qua caro non comeditur, evenerit, pisces XXX solidorum dabuntur, et in domino quoque servitio libra piperis, et quacunque die anniversarius contigerit, in eadem die servicium vel caro vel pisces dabuntur. Hospites vero scolares cum fratribus in refectorio refectionem suscipient, in singulis vero anniversariis C pauperibus C panes dabuntur, qui parabuntur de duobus malderis siliginis, et due hame cervisia, et unus bacho. In anniversario autem imperatoris, item in meo pauperibus in elemosinam dabuntur IIII maldera siliginis, et IIII hame cervisia, et IIII bachones. Definitum est etiam, ut neque ullus episcopus meus successor, neque aliquis advocatus in eadem curte et in his que ad eandem curtem pertinent, ullum omnino ius habeant, sed libere omnia potestate fratum ad servitia superius exposita consistant. Recepit autem predicta comitissa Adelheid cognata mea a me pro parte sui predii in precariam curtem ecclesie Veningon ab abbe Ugeleinheim, in Beleshusin<sup>5</sup>, Enzeberch, Dagelvingun, hiis quamdiu vivat, libere utetur, ea obeunte, episcopus Weningon, reliquas curtes abbas recipiat. Huic traditioni testes interfuerunt ipse imperator Heinricus et complures principes illius, Fridericus videlicet Coloniensis archiepiscopus, Liemarus Premensis archiepiscopus, Burchardus Basiliensis episcopus, Otto Argentinensis episcopus, Cuno Wormatiensis episcopus, Heinricus Podelbrunensis episcopus, Widelo Mindensis episcopus, dux Fridericus, marchio Burchardus, et alii quam plures. Ad maiorem autem nostre traditionis corroborationem presentem cartam meo sigillo sigillari precepi. Facta VIII. idus Ianuarii, anno ab incarnatione domini MC., indictione VIII., regnante Heinrico tertio imperatore augusto anno XLVI., imperante autem XV., Iohanne vero episcopo anno decimo Spirensi ecclesie presidente. Acta Spire in nomine domini feliciter. Amen.

---

<sup>5</sup>Beleshusin, ein abgeg. Ort zwischen Landau und Arzheim, LD.

## IV

Der Textabdruck erfolgt nach dem *Codex minor Spirensis* im GLA Karlsruhe, fol. 43a ff.  
Im Jahr 1572 kaufte Württemberg vom Stift Sinsheim das Patronatsrecht der Kirchen in Dürrenz und Zaisersweiher (die Kirche in Lienzingen war schon zwischen 1470 und 1476 an Kloster Maulbronn abgegeben worden). Bei dieser Gelegenheit übergab Sinsheim eine Abschrift der Urkunde, behielt aber das Original zurück. Diese Abschrift, beglaubigt von einem Notar Johann Lemp, zeigt erhebliche Abweichungen von dem bisher aus einer bischöflichen speyerischen Quelle bekannten Text. Im folgenden wird daher der nach der Abschrift korrigierte Text wiedergegeben:  
*In nomine sancte et individue trinitatis. Johannes divina favente clementia Spirensis ecclesie episcopus. Notum sit omnibus tam futuri quam presentis temporis fidelibus, quoniam ego Iohannes, ex divina clementia Spirensis ecclesie presul, licet indignus, construxi abbatiam in proprio allodio meo in pago Elesensgawe in comitatu comitis Brunonis, Sunnesheim dicto, a parentibus meis michi hereditario iure relicto, ob mee ob mee et patris et matris aliorumque meorum ibidem sepulchorum anime remedium, in honore sancte et individue trinitatis et sancte dei genitricis Marie et sancti Michahelis archangeli et omnium sanctorum, et precipue illorum quorum ibidem reliquie continentur. Dotavi autem eandem ecclesiam diversis meis prediis, consentiente et laudante herede mea, filia videlicet fratris mei comitis Ceiszolfi ibidem sepulti, dicta Adelheidis, que etiam sua predia eidem ecclesie devotissime tradidit. Dotavi igitur deo et sancto Michaeli aliisque sanctis, quorum ibidem patrocinia celebrantur, ad usum fratrum ibidem famulantium quotquot ibi predii et decime et alicuius iuris habui et preterea Steinfurt cum ecclesia et decimis in pago Elezenzowi<sup>b</sup> Zeiszolfesweilre cum ecclesia et dimidia parte decime, nam alia presbitero debetur, Lynzingen cum ecclesia et familia et dimidia decime, nam aliam presbiter accipit, Dürmentz cum ecclesia et familia et dimidia parte decime, nam aliam presbiter accipit<sup>c</sup>. Nam omnes curtes cum omnibus ad easdem curtes pertinentibus, cultis et incultis, silvis, pratis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, venationibus, pescationibus, exitibus et redditibus, et omnibus iustitiis quibus nobis servierunt, et omnibus familiis, exceptis ministerialibus eorumque prediis et beneficiis, ecclesie Sunnisheim et fratribus ibidem deo servientibus in proprium dedimus<sup>d</sup>. Omnes autem parochianas ecclesias ad eandem abbatiam pertinentes in Spirensi videlicet episcopatu constitutas, item Durmentze Lyntzingen Zeiszolfesweilre Bebingen Ugelheim ab omni servitio episcopali absolvi, ut sicut Spirensium fratrum ab omni census exactione sunt libere, ita et ab his nichil tributi ab episcopo queratur. Preter hec parochiane ecclesie in Sünnesheim singulare dedit privilegium, ut nullas ab episcopo corepiscopus ponatur nec presbiter ipsius loci more aliorum parochianorum synodus episcopi frequentare cogatur, sed abbas cum presbitero quasi proprio capellano omnem ibi rem ecclesiasticam tractet, et si quid ei obsistat, ipse abbas ante episcopum deferat. Ius etiam advocati michi placuit subscribi, ut videlicet nullum ibi episcopus constituat, sed abbas per se ip-*

<sup>b</sup>Ein Zeichen für etc. weist auf die vorgenommenen Auslassungen hin.

<sup>c</sup>Ein Zeichen für etc. weist auf die vorgenommenen Auslassungen hin.

<sup>d</sup>Ein Zeichen für etc. weist auf die vorgenommenen Auslassungen hin.

*sum, quemcunque voluit eligat, qui nullum sibi exactorem substituat, set ipse ter in anno Sunesheim, et non sepius, nisi ab abbe rogatus, item ter in anno Durmentze, et non sepius, nisi ab abbe rogatus veniat, et abbatem in causis necessariis strenue iuvet, libere placitante et banniente villico abbatis. Ad ipsum autem advocatum tantum de furtis et violentiis, et de prediis familiarum ecclesie pertineat agere, et quicquid in huiusmodi placitationibus acquirat, ipse tertiam partem, abbas vero duas partes accipiat. In hiis singulis sex placitis det ei abbas ad servitium unum maltrum panis id est triginta duos panes et frissingum, qui valeat XXX nummos, et V pullos et sex caseos et XX ova, et unam situlam vini et duas cervisiae, et VI maldera avene. Huic traditioni testes interfuerunt ipse tertius imperator Heinricus et quam plures principes ipsius, Fridericus videlicet Coloniensis archiepiscopus, Burchardus Basiliensis episcopus, Otto Argentinensis episcopus, Cuno Wormatiensis episcopus, Heinricus Podelbrunensis episcopus, Wydelo Mindensis episcopus, dux Fridericus, marchio Burchardus, comes Wilhelmus, comes Gerhardus, comes Gotfridus, comes Gerhardus, comes Adolff, marchio Werntherus, Heinricus advocatus, comes Folemarus, comes Hermannus, comes Gotzwinus, comes Dedalricus, comes Brun, comes Gotfridus, Brun prepositus, Giselbertus<sup>e</sup> decanus, Patricius scholasticus, custos Gevehardus<sup>f</sup>, Adalbertus camerarius, Burchardus, Dedelricus, Marcwart, Hetzel et alii quam plures. Ad maiorem autem nostre traditionis corroborationem presentem cartam meo sigillo sigillari precepi. <br> <br> Factam octavo idus Ianuarii, anno ab incarnatione domini MC., indictione VIII., regnante Heinrico tertio imperatore augusto anno quadragesimo sexto<sup>g</sup>, imperante autem XV., Iohanne vero episcopo<sup>h</sup> anno decimo Spirensis ecclesie presidente. Acta Spire foeliciter in nomine domini. Amen.*

<sup>e</sup>Die Vorlage hat *Siselbertus*.

<sup>f</sup>Die Vorlage hat *Seuehardus*.

<sup>g</sup>Das Wort *sesto* am Rand nachgetragen.

<sup>h</sup>Das Wort *episcopo* über der Zeile nachgetragen.

## Überlieferung und Publikationen

### Lagerort:

GLA Karlsruhe

### Signatur/Titel des Originals:

67/448 fol. 43 r ff.

### Überlieferung und Textkritik:

Beglubigte, unvollständige Kopie des 16. Jh.: HStA Stuttgart A 601  
U 2. Vgl. HStA Stuttgart A 502 U 175.

### Editionen:

Acta Theodoro-Palatinae, Bd. 3, Nr. 12, S. 277.

## Weitere Angaben

### Sprache:

Lateinisch

### Ausstellungsort:

Speyer

### Ortsindex:

Alsenz, KIB<br> Asbach Wohnplatz (6142)<br> Asbach, Obrigheim, MOS<br> Beleshusin, Landau in der Pfalz, LD, W<br> Böbingen, SÜW<br> Böhl, Böhl-Iggelheim, RP<br> Dürrmenz Wohnplatz (7058)<br> Dürrmenz, Mühlacker, PF<br> Elfinger Hof, Staatsdomäne : Maulbronn PF<br> Elsenzgau<br> Enzberg Wohnplatz (7061)<br> Enzberg, Mühlacker, PF<br> Enzgau<br> Gundersheim, AZ<br> Heidengau<br> Heinsheim Wohnplatz (1817)<br> Heinsheim, Bad Rappenau, HN<br> Iggelheim, Böhl-Iggelheim, RP<br> Immelhäuser Hof Wohnplatz (6541)<br> Immelhäuser Hof, Sinsheim, HD<br> Kieselbronn Wohnplatz (7031)<br> Kieselbronn, PF<br> Kraichgau<br> Köln, K<br> Lienzingen Wohnplatz (7064)<br> Lienzingen, Mühlacker, PF<br> Meistersel (Ruine), Ramberg, SÜW<br> Menzingen Wohnplatz (5515)<br> Menzingen, Kraichtal, KA<br> Nahegau<br> Offenbach an der Queich, SÜW<br> Reichartshausen Wohnplatz (6481)<br> Reichartshausen, HD<br> Servilingan<br> Sinsheim Wohnplatz (6553)<br> Sinsheim, HD<br> Speyer, SP<br> Speyergau<br> Steinfurt Wohnplatz (3816)<br> Steinfurt, Külsheim, TBB<br> Steinweiler, GER<br>

VII

Venningen, SÜW<br> Wormsfeldgau<br> Zaisersweiher Wohnplatz  
(7048)<br> Zaisersweiher, Maulbronn, PF